

» scientia et potestatis plenitudine, de venerabilium fratrum no-
 » strorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium consilio promul-
 » gata, sancimus constitutionem Pii praedecessoris praefatam, tam
 » citra quam ultra montes et in ultramontanis partibus, quo ad
 » omnes tam ecclesiasticas quam saeculares personas etiam regali
 » dignitate ac cardinalatus honore fulgentes, capitula, universita-
 » tes, communitates et collegia, congregationes et synodos, ac
 » parlamenta, valuisse, valere, et perpetuo valituram declaramus,
 » cum suppletionem solemnitatis cujuslibet, etiam publicationis omis-
 » sae, cujus in illa edenda vel publicanda defectus praetendi pos-
 » set; quae juxta illam fieri requirebatur, eamque ex praeterito
 » nunc et in posterum inviolabiliter observari mandamus; ipsius
 » violatores, cujuscumque dignitatis existant, poenis et censuris in
 » eadem expressis, quocumque tempore subjacere statuentes, con-
 » traria consuetudine seu potius corruptela non obstante: Decer-
 » nentes et declarantes ultra poenas impositas (quas ipso facto
 » dictos violatores et contravenientes incurrere volumus) ipsos et
 » eorum quemlibet pro veris et indubitatis schismaticis et incon-
 » sultis tunicae Domini nostri Jesu Christi violatoribus et dissipa-
 » toribus, ac de catholica fide male sentientibus, habendos et re-
 » putandos, poenisque canonicis et legalibus contra tales impositis
 » subjacere et cum Dathan et Abiron partem et damnationem
 » habere, ipsasque etiam poenas et earum quamlibet omnes illos
 » incurrere volumus, cujuscumque conditionis existant et gradus
 » praerogativa fulgeant, qui in senatu, consiliis, parlamentis, con-
 » gregationibus, etiam synodalibus et provincialibus, vel alias
 » quomodolibet, tacite vel expresse, voce vel scripto, per se vel
 » alium (cujuscumque timoris vel reverentiae velamine vel prae-
 » tensa excusatione et superioris mandato non obstantibus) decre-
 » verint, consuluerint, seu deliberaverint, vel aliorum dicta ap-
 » probaverint, consilium aut vocem dederint, ut ad futurum
 » universale concilium a nobis vel successoribus nostris Romanis
 » pontificibus contra praedictam constitutionem appellare liceat,